



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput LVIII. De altioribus rebus & occultis judiciis Dei non scrutandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

Quid facerem in tantis tribulationibus & angustiis meis, nisi me confortares tuis sanctis sermonibus?

Dummodo tandem ad portum salutis perveniam, quid curæ est, quæ & quanta passus fuero?

Da finem bonum, da felicem ex hoc mundo transitum.

Memento mei Deus meus, & dirige me recto itinere in regnum tuum.

CAPUT LVIII.

De altioribus rebus & occultis judiciis Dei non scrutandis.

1. **F**ili, caveas disputare de altis materiis, et de occultis Dei judiciis: cur iste sic relinquitur, & ille ad tantam gratiam assumitur: cur etiam iste tantum affligitur, & ille tam eximie exaltatur.

Ista omnem humanam facultatem excedunt: nec ad investigandum iudicium Divinum ulla ratio prævalet, vel disputatio.

Quan-

Quando ergo hæc suggerit inimicus, vel etiam quidam curiosi inquirunt homines, responde illud Prophetæ: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

Et illud: *judicia Domini vera, iustificata in semetipsa.*

Judicia mea metuenda sunt, non discutienda; quia humano intellectui sunt incomprehensibilia.

2. Noli etiam inquirere, nec disputare de meritis Sanctorum, quis alio sit sanctior, aut quis major fuerit in regno cœlorum.

Talia generant sæpe lites & contentiones inutiles, nutriunt quoque superbiam & vanam gloriam, unde oriuntur invidiæ & dissensiones, dum iste illum Sanctum, & alius alium conatur superbe præferre.

Talia autem velle scire & investigare, nullum fructum afferunt, sed magis Sanctis displicent: quia non sum Deus dissensionis, sed pacis; quæ pax magis in humilitate vera, quam

quam in propria exaltatione consistit.

3. Quidam zelo devotionis trahuntur ad hos vel ad alios ampliori affectu, sed humano potius, quam Divino.

Ego sum qui cunctos condidi Sanctos: ego donavi gratiam, ego præstiti gloriam.

Ego novi singulorum merita; ego præveni eos in benedictionibus dulcedinis meæ.

Ego præscivi dilectos ante secula; ego eos elegi de mundo, non ipsi me præelegerunt.

Ego vocavi per gratiam, attraxi per misericordiam: ego perduxi eos per tentationes varias.

Ego infudi consolationes magnificas, ego dedi perseverantiam, ego coronavi eorum patientiam.

4. Ego primum & novissimum agnosco; ego omnes inæstimabili dilectione amplector.

Ego laudandus sum in omnibus
San-

Sanctis meis; ego super omnia benedicendus sum; & honorandus in singulis, quos sic gloriose magnificavi & prædestinavi sine ullis præcedentibus propriis meritis.

Qui ergo unum de minimis meis contempserit, nec magnum honorat; *quia pusillum & magnum ego feci.*

Et qui derogat alicui Sanctorum, derogat et mihi, & cæteris omnibus in regno cælorum.

Omnes unum sunt per charitatis vinculum: idem sentiunt, idem volunt, & omnes in unum se diligunt.

5. Adhuc autem (quod multo altius est) plus me, quam se & sua merita diligunt.

Nam supra se rapti & extra propriam dilectionem tracti, toti in amorem mei pergunt, in quo & fruitive quiescunt.

Nihil est, quod eos avertere possit aut deprimere: quippe qui æter-

na ver
exting

Tac
les ho

ferere,
gaudia
pro fu
cet æt

6. I

maxim

aliquen

li dilig

Mul

human

trahunt

habent

nantur

Sed

quæ in

lumina

nam sp

7. C

se trac

cedunt

tende,

queas

na veritate pleni, igne ardescunt inextinguibilis charitatis.

Taceant igitur carnales & animales homines de Sanctorum statu differere, qui non norunt, nisi privata gaudia diligere. Demunt & addunt pro sua inclinatione, non prout placet æternæ veritati.

6. In multis est ignorantia, eorum maxime, qui parum illuminati, raro aliquem perfecta dilectione spirituali diligere norunt.

Multum adhuc naturali affectu, & humana amicitia ad hos vel ad illos trahuntur: & sicut inferioribus se habent, ita & de cœlestibus imaginantur.

Sed est distantia incomparabilis, quæ imperfecti cogitant, & quæ illuminati viri per revelationem supernam speculantur.

7. Cave ergo fili, de istis curiose tractare, quæ tuam scientiam excedunt: sed hoc magis satage & intende, ut vel minimus in regno Dei queas inveniri. Et

Et si quispiam sciret, quis alio
sanctior esset, vel major haberetur
in regno cœlorum: quid ei hæc no-
titia prodesset, nisi se ex hac cognitio-
ne coram me humiliaret, & in mayo-
rem nominis mei laudem exurgeret?

Multo acceptius Deo facit, qui de
peccatorum suorum magnitudine,
& virtutum suarum parvitate cogi-
tat, & quam longe, a perfectione
Sanctorum distat; quam is, qui de
eorum majoritate vel parvitate dis-
sputat.

Melius est, Sanctos devotis preci-
bus, & lacrymis exorare, & eorum
gloriosa suffragia humili mente im-
plorare; quam eorum secreta vana
inquisitione perscrutari.

8. Illi bene & optime contentan-
tur, si homines scirent contentari, &
vaniloquia sua compefcere.

Non gloriantur de propriis meri-
tis, quippe qui sibi nihil bonitatis
adscribunt, sed totum mihi; quoniam
ipsis cuncta ex infinita charitate mea
donavi.

Tanto amore Divinitatis & gaudio supereffluenti replentur: ut nihil eis desit gloriæ, nihilque possit deesse felicitatis,

Omnes Sancti, quanto altiores in gloria, tanto humiliores in seipsis, & mihi viciniore, & dilectiores existunt.

Ideoque habes scriptum: *mittabant coronas suas ante Deum, & ceciderunt in facies suas coram Agno, & adoraverunt viventem in secula seculorum.*

9. Multi quærent, quis major sit in regno Dei: qui ignorant, an cum minimis erunt digni computari.

Magnum est, vel minimum esse in cælo, ubi omnes magni sunt: quia omnes vocabuntur filii Dei, & erunt.

Minimus erit in mille, & peccator centum annorum morietur.

Cum enim quærent discipuli: quis major esset in regno cælorum; tale audierunt responsum:

Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut

S

sicut

sicut parvuli, non intrabitis in regnum
 caelorum. Quicumque humiliaverit se,
 sicut parvulus iste: hic major est in
 regno caelorum.

10. Væ eis, qui cum parvulis hu-
 miliare se sponte dedignantur: quo-
 niam humilis janua regni cœlestis
 eos non admittet intrare.

Væ etiam divitibus, qui habent hic
 consolationes suas: quia pauperibus
 intrantibus in regnum Dei, ipsi sta-
 bunt foris ejulantes

Gaudete humiles, & exultate pau-
 peres, quia vestrum est regnum Dei,
 si tamen in veritate ambulatis.

CAPUT LIX.

Quod omnis spes & fiducia in solo
 Deo est figenda.

I. Domine, quæ est fiducia mea,
 quam in hac vita habeo? aut
 quod magis solatium meum, ex om-
 nibus apparentibus sub caelo?

Nonne tu Domine Deus meus,
 cujus misericordiæ non est nume-
 rus?
 Ubi